

Statibus Regni Croatiae mandatur, ut admoneant Comitatus Neoacquisticos in Sclauonia adiacen. ad comparandum coram Commissione Neoacquistica pro die 2. May et subsequent.*

A tergo:

Reuerendis, Honorabilibus, Spectabilibus ac Magnificis, Egregijs et Nobilibus, Prudentibus item ac Circumspectis N. N. Universis Statibus ac Ordinibus Regnorum nostrorum Dalmatiae, Croatiae & Sclauoniae &c. Fidelibus Nobis dilectis.

Varasdinum.

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Acta Regni Congregat. 1700, N. 4.

CCXXII.

Anno 1700. die 30. Septembris. Zagrabiae.

Comes Adamus de Batthyán, Croatiae, Dalmatiae et Slavoniae Banus, suo et suorum successorum nomine cum SS. & OO. Regni Croatiae et Slavoniae intuitu iurium, iisdem SS. et OO. in Confinio Militari competentium, solemnita pacta init.

Nos Comes Adamus de Batthyán Perpetuus in Németh-Uyvár, Iudex Curiae Regiae, Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Banus, Confiniorum eiusdem Regni Slavoniae Colapianorum & Unanorum Supremus Capitaneus, Sacrae Caesariae Regiaeque Maiestatis Actualis Intimus Consiliarius, Camerarius, Partium Regni Hungariae Cis-Danubianarum et Confiniorum Canisae annexorum Generalis Capitaneus. Damus pro memoria: Quod nos consideratis et exacte perpensis tot et tantis ultra iam Saeculum pro Divis Hungariae Regibus et Augustissimis Domo Austriaca cum amplissimarum fortunarum jactura, copiosissima Sangvinis profusione, totque et tam charorum Concivium suorum caede, diuturna praeterea et sumptuosa Confiniariae Militiae aere proprio exolutione, per Inclytos Status et Ordines praefatorum Regnorum Croatiae et Slavoniae adversus varios et plurimos Naturalis Hostis in eadem Regna insultus, in conservationem Confiniorum suorum Colapianorum praestitis servitiis, et quod deinceps quoque non modo in praefatis Collapianis, sed Vnanis quoque et Glinanis Confiniis pro moderatae Suae Sacratissimae Maiestatis Caesariae et Regiae Suorumque Augustissi-